

SCANDIA

siue

REGIONES SEPTENTRIONALES.

Continet hæc Tabula ferè omnem cogniti Orbis tractum Septentrionalem : sed imprimis eam Peninsulam veteribus sub nominibus Scandia, Scandinauia, Baltia, & Basilia, malè cognitam : quam & alterum Orbem terrarum propter eius magnitudinem, & officinam, vaginamque gentium cognominarunt. Compræhendit hæc Peninsula hac ætate tria Regna, Noruegiam, Sueciam, Gothiam : & partem Regni Danici : aliasque multas Prouincias ; vt sunt, Bothnia, Finmarchia, Finlandia, Lapponia, &c. Cuius singulares descriptiones hîc ex Iacobo Zieglero apponemus.

NORVEGIA, interpretatur Septentrionalis tractus aut via ; fuit Regnum hoc aliquamdiu admodum florens, Imperiumque tenuit per Daniam & Frisiam, Insulasque adiacentes, donec domesticum Imperium per hæreditariam successionem administratum fuit. Postea sub interregno, consensu Procerum institutum est, vt Reges per electionem susciperentur. Estque hoc tempore sub potestate Danorum. Hi non legitimos modò redditus, & tolerabilia vectigalia imperant, sed omnia commoda conradentes transferunt in Daniam. Ad hanc difficultatem accedit qualitas locorum : habet enim Dania in potestate nauigationes omnes Noruegianas : neque hæc exercere mare potest, neque exportare merces ; præterea à cælo, à tellure, à mari nequaquam humilis aut parum felix existimata. Hæc mittit in reliquam Europam piscem ex genere Asellorum, frigore induratum & extensum in fustem, vnde & eum Germani dicunt *Stockfisch*. Captura eius laudatissima est Ianuario, quando super est frigus vt induretur ; & qui clementioribus mensibus capiuntur, marcescunt ; neque sunt idonei, vt exportentur. Tractus totus littoralis Noruegiæ est mitis, mare non congelatur. Niues non diu durant.

SVECIA, Regnum est diues argenti, æris, plumbi, & ferri, frugum, pecoris ; & prouentu immenso piscium ex fluminib. lacubus, & mari : venationibus quoque ferarum. Stockholm in ea est Regia & Emporium, Vrbs munita arte & natura. Sita est in paludibus instar Venetiarum. Inde sortita est nomen, quòd sita in aquis, fundamenta sint palis stabilita. **GOTHIA**, id est, bona terra ; Regi Sueciæ paret. In ea est Portus & Emporium Calmar vrbs magna, habetque Arcem quæ operum magnitudine certat cum Arce Mediolanensi. Apud Tingualla oppidum sunt fossiones optimi ferri. Hæc Zieglerus. De Dania hîc nihil addimus, cum de ea dictum sit in propria, quam occupat, tabula. Est in hac Tabula Islandia Insula (veteribus Tyle dicta) miraculis, si quæ alia, clarissima. Etiam Groenlandia paucis nota. Apud veteres pauca harum Regionum testimonia habes. Ex Recentioribus eas descripserunt, Olaus Magnus Gothus, Episcopus Vpsaliensis ; Albertus Crantius ; Saxo Grammaticus ; Iacobus Zieglerus ; Sigismundus ab Herberstein in

suis Moschouiticis Cõmentariis. Edidit & Nicolaus Wimman-

nus Maris Arctoi nauigationem. Vide quoque Nicolai

Geni Cõmentaria ; & Naufragium Petri Qui-

rini, ab eo & Christofero Fiorauante,

nec non Nicolao Michaëlis

Italicè scriptum.



AMERICAE
SINOVICAE
ORBIS
PARS

OCCIDENS

OCEANVS OCCIDENTALIS

SEPTENTRIO

OCEANVS HYPERBOREVS

OCEANVS DEVCALIDONIVS

OCEANVS GERMANICVS

OCEANVS BRITANNICVS

MARE CONGELATVM

RVSSIA

ORIENS

SEPTENTRIONALIVM REGIONVM DESCRIP.

Scala mill: Germanicorū

